

Johann Cothmann

Rector Universitatis Rostochiensis Johannes Cothman, S.S. Theologiae Doctor & Professor, Ad Exequiarum Solennitatem Quam ... Dn. Henrico Geismaro, adornabit Vidua relicta maestißima Omnes Omnium Ordinum Cives Academicos qua par est diligentia invitat. Conventus fiet ad hor. 1. in Aede Jacobaea

Rostochii: Kilius, 1644

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777446022>


Druck Freier  Zugang




Cothman, J.,
in H. Geismar.

Rostock. 1644.

57





RECTOR
Universitatis Rostochiensis
JOHANNES COTHMAN,

S. S. Theologiæ Doctor
Professor

Ad

EXEQUIARUM SOLEMNITATEM

Quam



Spectatissimo ac Civi Reipubl. hujus primario

DN. HENRICO
GEISMARO,

adornabit

Vidua relictâ mestissima

Omnes Omnium Ordinum Cives Aca-
demicos qua parest diligentia invitati

Conventus fiet ad hor. 1. in Aede

Jacobaa.



ROSTOCHII,

Typis NICOLAI KILII, Acad. Typogr

ANNO M. DC. XLIV.



RECTOR

Universitatis Rostochiensis

JOHANNES COTHMAN,

S. S. Theol D. & P.



Odiernus funeris
processus veritatem com-
probat effati Senecæ Epist.
30 ita loquentis: Quemad-
modum senectus sequit-
ur adolescentiam, ita
mors senectutem. Nam
post lapsum verissimè di-
citur; constiturum est hominibus semel mori,
Hinc rectè ait allegato loco Seneca: Vita cum ex-
ceptione mortis data est, ad hanc itur, quam ideo
timere dementis est, quia certa expectantur, du-
bia metuuntur. Mors necessitatem habet æquam
& invictam. Hanc mortis conditionem, nemo
cujuscunq; sit generis effugere potest, manus
enim suas obscuras, ut poëta loquuntur, omni-
bus inijcit, nec parcat imbellis juventæ popliti-
bus. Non equidem pari conditione homines ad-
ventum illius præstolantur. Viro curis hujus
vitæ minimè distracto, sed prospero rerum suc-
cessu

cessu utenti, cibumq; capere valenti, ac pace in facultatibus suis utenti, memoria mortis perquam est acerba. Jucunda vera & grata mors est homini viribus minuto, accedentibus illis annis, in quibus non amplius aliqua est delectatio, quando scilicet sol oculorum obtenebrescit, & custodes domus, sive manus fiunt tremulæ, ac valentia robore ossa, siccitate contracta, incurvantur, & otiosi sunt dentes molentes, ac clauduntur labiorum ostia. His meritò annumeramus defunctum nostrum, virum spectatissimum accivem dum vivebat hujus Reipubl. primarium. **DN. HENRICUM Geismar.** Ædis Jacobæi præfectum vigilantissimum. Is enim illam natus **DEI** gratiâ ætatem, in qua nulla amplius fuit oblectatio mori paratus fuit, & hujus sui desiderij nudius tertius compos factus est. Natus autem venerandus hic senex Rostochij ipsis Idibus Maij seculi superioris Anno 1579. patre viro prudentissimo **DN. MICHAELE Geismaro** Senatore quondam hujus Reipub. laudatissimo, Matre **ELISA Gresten** fæmina pientissima. Avum pateruum habuit Clarissimum & præstantissimum Virum **DN. MICHAELEM GEISMARUM** optimarum artium Magistrum, Senatorem hujus urbis meritissimum, ut & Cænobij S. crucis præfectum vigilantissimum. Avia-

E 2

pater-

paterna illi fuit **MARGARETHA** **U**
BRESCHES / matrona honestissima. Avum
maternum habuit **Dn. NICOLAUM** **S**
SEN / patricio honore insignem. Aviam vero
maternam **METTAM** **MAREN** / ex perve-
tusta Makiorum familia oriundam. Ex præci-
cipuis hisce piè defunctus noster ortus parenti-
bus & majoribus, semina virtutis secum habuit,
quæ sedulâ curâ, continuatâ institutione adaucta
fuerunt, dum à teneris Unguiculis, quantum
quidem illa ætas capere potuit, ad virtutis stu-
dium incitatus fuit. Adultior factus ad Scho-
lam trivialem, uberioris eruditionis acqui-
rendæ gratiâ ablegatus, in eadem annos primos
pueritiæ consumpsit. Ne verò aliarum gentium
morum & consuetudinum ignarus esset, peregrin-
ationi aliquid temporis impendit, ac comite af-
fini suo, viro Amplissimo **Dn. MATTHÆO**
GENDES / J. U. D. & Syndico primò Wisma-
riensi, deinde Sundensi, celebriora Germaniæ lo-
ca perlustravit. Absoluto hoc labore, domum
reversus annum, agens vigesimum quintum vi-
tæ sibi sociam elegit, virginem pudicissimam &
pulcherrimam **MARIAM** **GENDES**
Dn. JOACHIMI **GENDES** Cives primarij
hujus urbis filiam, nunc viduam moestissimam,
uxorem

uxorem virtutibus sexui famineo competentibus insigniter exornatam. Conjugium illud sicuti fuit amicabile & diuturnum (integros enim 40. annos duravit) ita quoq; fuit fertile & fœcundum. Utriusq; enim sexus in eo susceptos liberos vidit, filios quidem sex: MICHAELUM Civem hujus Reipubl. primarium JOACHIMUM, quem magnis sumptibus eo perduxerat, ut in Acad. Salana Doctor Juris creatus sit, illum invidiosa mors ante biennium hinc sustulit. HENRICUM Inclytæ Reipub. Hamburgensis civem & Negotiatorem primarium. FRANCISCUM quem tenellum in ipsa infantili ætate mors atra vivorum exemit confortio. NICOLAUM, qui negotiationi animum applicans mari periit. MATTHÆUM in ipso vitæ suæ limine, naturæ debitum persolventem. Filias verò tres CATHARINAM ante pubertatis annos completos mortuam. MARIAM in ipso ætatis, flore rebus hisce caducis valedicentem, & ELISABETHAM parentum consensu & auctoritate ante tempus semestris viro Reverendo & Eximio Dn. JOACHIMO LINDEMANNO ad D. Petr. Diacono vigilantissimo, elocatam. Sicuti vero defunctus noster lætatus est, quatuor ex superstitibus


tibus liberis felici & concordi conjugio conjunctos vivere, ita imprimis gratum illi fuit, quod ex illis totidem nepotes viderit, avum partim voce, partim risu dum vivebat exhilarantes. Cæterum vitam nostri senioris quod spectat, illa ita comparata fuit, ut omnibus suavis, nemini gravis extiterit, à fucis & fallacijs alienissimus erat. Hinc qui rem Ecclesiæ curant, perspicientes defuncti nostri ingenuitatem & indefessum studium honores Ædilitios, per integros triginta annos templi Jacobæi illi obtulerunt, in quo munere laudabilem se gessit, testibus illis, quibus ejus administratio intimius cognita fuit. Cum verò mors, quæ est ultima linea rerum appropinquaret, ejus præambulones, morbi scilicet defunctum nostrum variè exercuerunt. Ipsa quidem senectus, experientiâ teste, per se morbus est, accedentibus verò aliis sumptomatis, utpote Scorbuto, addita insuper gravi affectione Tympanites dicta, in qua referente medico abdomen totum, cum flactibus copiosis & paucò seroso humore distenditur, & sonus percussio ventre instar tympani percipitur, tum inquam malum illud mirum in modum augetur. Inprimis quando talia symptomata accidunt, quæ ut plurimum sunt lethalia eoq; ipso curatu difficiliora,
con-


continuata scil. inquietudo & contumax, tam
diurna, quam nocturna ob innumeras de lectu-
lo iu lectulum translationes, unde factum ut per
aliquot septimanas. Vix per horæ quadrantem
somnum defunctus noster ceperit. Hinc in se-
nili hoc corpore, ex immoderatâ motione, ap-
petitu prostrato, vires celerius fractæ & dissipa-
tæ sunt. Quo tandem effectum ut *mensuris* noster,
sumpto prius sacro corporis & sanguinis Chri-
sti viatico, hora 12. pomeridiana 26. Augusti in-
ter vota & suspiria astantium, spiritum DEO
Creatori Redemptori & sanctificatori reddiderit.
Hujus optimi, dum vivebat, viri exuviæ omni-
um nostrum matri hodie ad hor. 1. mandabun-
tur. Vos ergo Cives Academici omnium ordi-
num honoratissimi id præstabitis illi, qui ve-
strum ordinem sua benevolentia summopere
complexus est, vix enim vidistis ullum funus A-
cademicum efferri, cui defunctus noster senior
ultimum non exhibuerit honorem. Quod ergo
nostro ordini peculiariter præstitit, æquum est,
imò ipsa flagitat honestas, ut defuncto huic Se-
nio exhibeamus. Confertim igitur cives Acade-
mici ad hor. 1. in ædē Jacobæa confluite, & pro
beatâ ex hoc ergastulo emigratione, precēs ad


DEUM

DEUM fundite, urq; pacem & hacyonia
DEUS clementissimus, Ecclesiæ afflictissimæ
concedat, devoto pectore rogate. P.P. Sub
Sigillo Rectoratus 29. Aug. An-
no 1644.










uxorem virtutibus sexui fa-
bus insigniter exornatam.
sicuti fuit amicabile & diu
enim 40. annos duravit) ita
fæcundum. Utriusq; enim
ptos liberos vidit, filios quid
LEM Civem hujus Reipubl.
CHIMUM, quem magnis
duxerat, ut in Acad. Salana
fit, illum invidiosa mors au-
sustulit. HENRICUM Incl-
burgensis civem & Negotia
FRANCISCUM quem
fantili ætate mors atra vivo-
tio. NICOLAUM, qui ne-
applicans mari periit. M.
ipso vitæ suæ limine, naturæ
tem. Filias verò tres. CA
ante pubertatis annos con-
MARIAM in ipso ætatis,
ducis valedicentem, & ELI
rentum consensu & auctori-
mestre viro Reverendo &
CHIMOLINDEMANN
cono vigilantissimo, elocatus
defunctus noster lætatur est,

E 3



mpetenti-
um illud
(integros
fertile &
eo susce-
MICHAEL-
m JOA-
us eo per-
is creatus
ium hinc
b. Ham-
marium.
n ipsa in-
it confor-
animum
EUM in-
ersolven-
INAM
mortuam
shisce ca-
HAM pa-
empus se-
On. JOA-
Petr. Dia-
cuti vero
supersti-
tibus